

413

PHOSPHORUM NATALEM

V I R O

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, ET
EXPERIENTISSIMO

DN. SIMONI

WEISSIO,

CIVIT: THORVN:

CONSULI, ÆRARIJ PUBL. PRÆF. PRI-
MAR. POLIATRO ET SCHOLAR-
CHÆ GRAVISSIMO

Die XV. Iulii A. M. DCC. XXXII,


ITERUM EXORTUM

LÆTUM AC SALUTAREM PRECARI

VOLUIT DEBUIQUE

CULTOR DEVINCTISSIMUS

IAC. ZABLERUS.



T H O R V N I I,

Impressit Joh. Nicolai NOBIL, SENAT. & GYMN. Typogr.

C 205



Pud gentes moratas, sanctum & venerabile nomen FIDEI fuisse, cum experientia loquitur, tum historia temporum liquido testatur. Hoc enim sana ratio dictaverat, fidem justitiæ fundamentum esse præcipuum: quæ sicubi adsit & colatur studio, durare regna, valere societates, domi forisque omnia tranquilla ac secunda esse; sin autem exulet, si vivere ex raptis, & inpune lædere sit volupe, maxima convelli imperia, homines ad socialitatem natos degenerare in belluas, jura belli confundi, commercia extingui, omnia denique sursum vorsum ferri. de hac fide præclare more suo egit CICERO *lib. 1. & 3. de offic. & SENECA epist. 88.* fidem sanctissimum humani pectoris bonum esse judicavit, quæ nec ulla necessitate ad fallendum cogitur, nec ullo corrumpitur præmio. quibus sine dubio prælusere Græci, nominatim ISOCRATES & ARISTOTELES. ille quidem *in orat. adv. Callimach.* asserit, plerasque res Græcorum & Barbarorum, ex pactis & conventis transigi, per hæc agitari commercia, per hæc privatas inimicitias & bella communia deponi, hoc uno denique bono homines uti communiter atque colligari. hic autem *lib. 1. Rhet. cap. 15.* sublatis pactis tolli inter se usum hominum, tanquam ex tripode pronunciavit. multo vero plura hac de re commentati sunt recentiores Moralistæ, in his HUGO GROTIUS aliquot locis de I. B. & P. & Illustris PUFFENDORFIUS *lib. 3. de Jure Nat. & Gent. cap. 4. & 5.* ubi varias divisiones obligationum affert, & quæ earum natura nexusque sit, rationibus & exemplis docet. Fides itaque, quæ dictorum & conventorum constantia est, firmumque animi propositum ea servandi explendique, quæ quis verbis conceptis affirmavit alteri; illa inquam vagatur per omnes status hominum, ut nullus possit excipi. Hoc ut sibi constet melius, solent eam autores dispescere in publicam & privatam. Publica Principes respicit potissimum, siquando fœdera cum exteris pangenda, leges ferendæ & exequendæ, faciendæ induciæ, firmandi vel designandi limites, omniaque illa suscipienda, per quæ salutis publicæ, famæ, & conscientiæ debet consuli; de quibus singulis, exempla & sententias præclaras congestit Nob. REINHARDVS *in Thesi. prudent. eleg. P. 1. pag. 639. seq.* Privata cives tangit & subditos in societate viventes, variisque officiis distinguitur, quæ homo debet homini. Est nempe fides inter conjuges, ut utraque pars corpus præstet intaminatum, neque juramento per vagas libidines vim inferat, idque reddat irritum. Est fides inter mercatores, dum probas merces inferunt ac distrahunt, hostem patriæ armis non adjuvant, libros arcanos & familiares, in quos accepta & expensa referunt, non interpolant vel mutilant, per literas denique gravissimas rationes conficiunt, quamvis vel ignoti invicem, vel maximis terrarum spatiis sint divisi. Neque opifices a fide & integritate excludi debent; horum quippe interest, tyrones diligenter iis artibus imbuere, quas tanta cum molestia condiscunt, nihil celare, quo victum aliquando parent, famæ serviant, civitati sint utiles. Et quid attinet, per omnia ire collegia, vel ipsos denique advocare servos, coquos, & famulas; de quibus ex historiis constat, & nocuisse sæpe dominis, & ob fidem magna retulisse præmia? Quinimo respiciamus regnum literarium, eamus per singulas ditiones ac provincias, visitemus earundem metropoles, principales inquam scientias; & patebit, omnes vinculo fidei & εὐδαιμονίας (siquidem in Græca

Græca voce major latet emphasis) colligatas esse. Quanta cum fan-
titate Theologus officium, angelicis humeris tremendum, suscipit
ac sustinet? gnarus, Dei se legatum esse, cui nefas sit domini manda-
ta transgredi, fas autem sit, mysterium fidei pura tenere conscientia,
& boni instar oeconomi aliis lac doctrinæ salutaris, aliis cibum soli-
diorem dispensare, hos consolari & erigere, illos terrere & in ordi-
nem redigere, neque committere, ut qua anima, Christi sanguine
tineta, sua culpa pereat. quod olim Pastorale S. PAVLVS Apost.
Timotheo & Tito præscripsit. Quanta cautione & circumspectione
opus habet ICTus, ut Themidi, cuius sacerdos est & administer, fidem
præstet integram? ille si leges explicat, ad mentem legislatoris sem-
per respicit, omnesque apices & formulas examinat; si clientem de-
fendit, non prævaricatur, non causam prodit, sed omnibus modis tu-
etur innocentiam; si causam capitalem agit, non ludit suspicionibus,
sed aliis vestigiis ad caput malefici penetrat, qualia designavit Cicero,
optimus causarum patronus, quum alium peiorem Erucium premeret
& officii admoneret, in *Orat. pro Rosc. Amer.* Quanta fide litandum
sit Medico, id vel leviter adumbrare nequeo, quinunquam in hæc na-
turæ & artis divinitus datæ introspexi penetralia, forte etiam nun-
quam vel oppido raro fidem Medici imploravi. Malim ergo pro-
vocare ad summam Tuam, PATRONE NOBILISSIME, in arte me-
dendi dexteritatem, quam cum nostra Civitas deprædicat semperque
feret in oculis, tum plurimi Magnates Incluti Regni Polon. maximo
cum fructu sunt experti. Sensere etenim, cito, jucunde, & utiliter
data fuisse medicamina: quæ virtutes sicubi concurrunt, & singula-
rem indicant experientiam, & Medici fidem in majus extollunt.
Nisi id optandum esset, ut digna semper tributa forent præmia. quod
etiam Syracides *Ecclesiast. cap. xxxiix. 1. & 2.* svadet, dicens: τίμα
ἰατρον πρὸς τὰς χρεῖας τιμαῖς αὐτοῦ, καὶ γὰρ αὐτὸν ἐκτίσσε Κύριος. παρὰ γὰρ
ὀφείσει εἶναι ἰατροῦ, καὶ παρὰ βασιλέως λήψεται δόμα. quæ itidem ad verbum
expressit V.V. sed moribus seculi aliter comparatum est, quod illud de
tribus faciebus Medici solet accinere; ut mirum non sit accipere
dum dolet. Sed aliud quid in mentem venit, quod in regno litera-
rio primum est, & illibatam fidem desiderat. Criticis nempe & Phi-
lologis hoc incumbit, ut veteres Codd. MSS. cum fide tractent, nihil
addant, nihil interpolent, vel detrahant, quo boni autores & emenda-
ti prodeant, quibus historia facti, vel etiam res fidei & morum com-
probari debet. Quare sæpe legimus, veteres adjurasse suos Notarios,
ne quid scribendo immutarent, ne quid minuerent vel omitterent te-
mere, unde fraus auctori suboriri possit; id quod è formula S. IRE-
NÆI operi præfixa constat. Huc etiam pertinet, ne qua sententia
vel liber auctori affingatur: qua de re, post Rivetum, Dallæum &
alios, novissime CL. SCHELHORN in *Annot. literar. Tomo II.* singu-
lare fragmentum ELIÆ EHINGERI Augustani protulit, quod agit
de fidelitate servanda in citandis auctoribus. Et hic merito rideo propriam
confidentiam, quæ anno superiore in carmine funebri mihi imposuit,
ut pro SENECA allegatus fuerit S. BERNHARDVS. Non id animo
malo abs me factum esse, vel illud sit indicio, quod aliunde admoni-
tus aperui, unde luculentam illam sententiam, plenam gravitatis &
solatii philosophici hauserim; videlicet ex *Apparatu Curioso SCHU-
TZII* auctoris recentissimi, Lipsiæ edito an. 1710. II. vol. 4. qui dum
sub *tit. de morte conjugis* convasavit testimonia, quod fieri amat in e-
jusmodi

jusmodi farragine, è libro cujusdam SYLVII *de miseris Curialium*, S. Bernardi & Senecæ loca combinare voluit. Locus autem integer reperitur in libro Senecæ, qui inscribitur *Consolatio ad Polybium*, cap. 29. Cæterum absit, voluisse me DOCTORI MELLIFLUO aliquid affingere, cujus eloquentiam & sensus Theologicos merito suspicio magnique æstimo: idque fateor liberaliter, in his angustiis non licere, ut magna strues librorum comparetur; multo minus, ut unius autoris diversæ editiones a Gallis, Batavis, Anglis, ipsisque Italis petantur; quæ res nimis sumtuosa est, & hemisphærium Scholasticum superat. Hæc quidem hæctenus, Illis omnibus, quæ dixi, pace Tua, PATRONE NOBILISSIME, unum adhuc fidei genus adjicio, quod cultum & observantiam erga Fautores & ingeniorum Nutritios complectitur. Hæc vero clientibus est propria, ab illo tamen more sejuncta, quo olim SOLDVRII sive devoti apud Gallos dominis suis obligati fuere. De his locus singularis extat apud Iul. CÆSAREM. *lib. 3. B. Gall* & apud ATHENÆUM *Dipnosoph. lib. VI. cap. 13.* quorum hic ex NICOLAO Damasc. Soldurios mutavit in Siloduros: dicunt tamen, qui pro regibus devoverunt capita, lubenter mortem oppetisse, meritos ea propter, qui victu eodem & cultu corporis uterentur, simulque principatum gererent. Mihi hoc relictum esse puto, ut de Patrono bene judicem, obsequium præstem, pro vita & incolumitate Deum deprecer. Sane, quo tempore Scholæ & Ærarii publ. cura TIBI demandata fuit, non potui non bene ominari, posse TUIS consiliis Musas Thorunenſes resurgere, posse ope lata rectius valere. & crede valebunt, quod & amas bonas literas, & intelligis. Quid ergo vetat, hoc etiam nomine partes clientis exequi, & hodierno die, qui TIBI GENEROSE DOMINE natalis est, pietatem contestari? Parum opinor distas ab anno climacterico LXIII, quem ego jam ingressus sum. credo TE eum tam non formidare, quam qui vere exacto ætatem, hac finita autumnum subeat. sunt enim istæ vices temporum, quas homo tolerare debet, impedire vel intervertere non potest; ita tamen comparatæ, ut, quibus bona corporis habitudo tributa sit, non afficiant magnopere. Deus igitur præpotens, qui omnia moderatur ac sapienter dispensat, hanc lucem faxit esse salutarem, nubemque curarum, quæ inopinus dulcissimæ CONSTANTIÆ obitus pectus Tuum obumbravit, leniat vel dispellat. Redeat illa imposterum lætior, alboq; notetur calculo. Constet menti vigor, neq; curis publicis fatiscat. constet corpori sanitas, & in familiæ decus revirescat. Si placet superis, si, dum senectus minatur, fomenta etiam requirit; forte FIDVM. Sed quid fata rimari opus est? evenient & sine vate vel augure optima, Deus ipse viam demonstrabit, ut curæ domesticæ fiant leviores, & vitæ WEISSIANÆ trames svavior decurrat. non permittet ille, ut nomen gratissimum exolescat, imo per merita duret quam diutissime, & in memoria posteritatis novas semper habeat propagines. Quod superest, PATRONE & SCHOLARCHA NOBILISSIME, Tuo me favori commendo, certo perſvasus, hancce meam de Fide commentatiunculam, quam inter bellaria genethliaca apponi cupio, velut tesseram debiti cultus & observantiæ, non ingratham fore.